

FRATRI SUO DILECTISSIMO
TROUILLON,
CANONICO COLLEGIALIS MONSMORILLONENSIS,
SUB INVOCATIONE SANCTÆ MARIÆ,
IN PUBLICUM GRATITUDINIS ET AMICITIÆ MONUMENTUM,
VOVET ET CONSECRAT
L. LUDOVICUS TROUILLON DUBRUEIL.

TENTAMEN THERAPEUTICUM
DE RATIONE VICTUS IN ACUTIS,

QUOD Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

LAURENTIUS-LUDOVICUS TROUILLON DUBREUIL, ex urbe Monſmorillonenſi apud Pictavos, Artium Liberalium Magiſter, & jandudùm Medicinæ Alumnus. die mensis Februarii anni 1775.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

I.

INTER partes Medicinæ, diætetica primas omnium tenet, & olim etiam maximi ſemper habita fuit, artiſque certitudinem in avertendis morbis demonſtrat, cùm longe expeditius ſit, corpus à morbis deffendere, quam illud corruptum & vitioſum reſtituere. Majoris adùc

momenti est diæta in acutis; sufficit enim sæpissime, ad morbos profligandos. Sic censuerunt multi ex antiquis, & neotericis. Imprimis ex antiquis Hyppocrates & Cellus cujus hæc sunt verba, cibus oportune datus, optimum est febris medicamentum. Ex Neotericis Vallesius (1) & Duretus & primus, ait certe multo plures liberentur, cum bono victu reliqua curatione dimissa, quam cutatione suscepta sine victu bono. Duretus (2) inquit, in medendo nullus feracior locus est neque utilior quam de diæta, quæ ipsa sufficit ad morborum bonitate naturæ triumphatorum curationem, inconsiderate autem præscripta, morbos alioqui sanabiles, efficit insanabiles. Glas (3) Medicos culpat, quod victus rationem in acutis negligant. Hæc autem Medicinæ pars, inquit, quæ victu morbos curat, haud ea qua debuit diligentia, ab hominibus qui veterum disciplinam neglexerunt, agitatur; hi vel maximam partem eumdem cibum omnibus febricitantibus concedunt, vel nil forte in hac re nisi abstinentiam à victu crassiore, præcipiunt; totàmque victus rationem aniculæ permittunt.

II.

His dictis jam ad rem venio. Sat inter se conveniunt antiqui & novi Medici, diætam tenuem, necessariam esse acute febricitantibus. Nullus enim petronæ victus rationem recipiet; carnes assas administrans, vinumque nigrum in his qui acuta laborabant febre; neque in tanta siti, ita temperans ut cotulæ aquæ vigesimam partem porrigeret. At discrepant inter se Auctores, cum de selectu alimentorum agitur. Alii enim pro ptisana hordeacea, alii pro jusculis contendunt; alii etiam utrumque indifferenter concedunt. Quosdam tantum nominare sat erit. Hippocrates ptisanam hordeaceam, omni alimento præferebat (4) Sic ait, ptisana aliis eduliis recte prælata esse videtur in morbis acutis; & laudo sane eos qui eam prætulerunt. Nam viscositas ejus levis est, & continua, & jucunda, & lubrica, & moderate humida &c. manardus jusculа ptisanæ anteponebat; & levi sane ratione (5); experientia ipsa ait, comperi paucos admodum esse, qui nostro tempore ptisanam norint recte parare: & propter ea scripsi inter reliquas rationes, & hanc me monere, ut ea non uterer. Ex eo Cardanus violenter eum increpavit, dicens plus longe utilitatis leonicenus, & nisi vererer adulationis mihi tamen incogniti suspicionem, brassavolus, quam

---

(1) Vallef. Commentaria in Hipp. librum de diæt. in acutis pag. 8.
(2) Duretus Comm. de ratione vic. in acutis pag. 6.
(3) Glas. de victus ratione Comment. 5. pag. 57.
(4) Hipp. de victus ratione in acutis, pag. 418.
(5) Joan. Manardus lib. 17. epit. 1. pag. 62.

manardus hominibus detrimenti attulerint (1). Tandem Vallesius, concedit & ptisanam & juscula (2). & sic ait quivis Medicus tribuet ptisanam hordeaceam febricitantibus, potius quam triticeam. Non proinde tamen deterius exhibetur jus gallinæ aut pulli. Vegetabilia omnino decoctis animalium, mihi anteponenda videntur. 1°. Ptisana Hippocratis, multas acutorum indicationes simul adimplet, dum juscula sæpe nocent. Quod probatur observatione Hoffmanni (3). Sic observatum inquit sæpius in acutis & malignis est, juscula alimentosa & substantifica, nondum satis vis morbi labefacta, noxia fuisse, naturamque victam, & mortuos ægros &c. 2°. Ptisana hordeacea demulcet, mucilaginosa enim est. 3°. Siticulosis, sitim sedat; decocta animalium contra, sitim adaugent. 4°. Putrefactioni adversatur; juscula ad putrefactionem tendunt. Demonstratur enim exprimentis Pringlii, (4) & Macbridi (5) vegetabilia ad acescentiam, animalia ad putrefactionem vergere. Proprietas autem illa maximi est momenti, in febribus acutis, & imprimis in putridis, & malignis, & in omnibus inflammationibus. His sane ductus rationibus Gorter dixit (6). Miror pervetsitatem multorum, qui in omnibus febribus, non dubitant dare decocta carnis, quoniam in corporibus à febre calentibus, cito in putrilaginem convertuntur. 5°. Facilioris est digestionis, decoctis animalium quod constat observatione D. Cullen (7), vis stimulans inquit, cibi animalis, motum febrilem digestionis intendit longe vehementius, quam victus vegetabilis. Unde ex prædictis inquit D. Barthez (8), apparet; quam vitiose & imperfecte consideratis causis digestionis, Galenus censuerit, quod cibi animales multo leviori labore digestionis, in cruorem transmutentur, quam panis & olera: atque recens in eamdem sententiam iverit Barry, arbitratus victum vegetabilem minime idoneum esse hominibus quorum infirma est valetudo. 7°. Denique multo facilius ægrotantibus sumitur ptisana quam jusculum quod in morbis non est negligendum. Anteponenda est igitur ptisana hordeacea decoctis animalium. Ptisanam quoque Hyppocratis omni alimento anteponebat Aretæus (9). Sic ait proinde Cibariis om-

---

(1) Hier. Cardanus contradic. medic. lib. 2. tract. 6us. contrad. 5a. aqua hordei an in morbis conveniat. pag. 373.

(2) Vallesius Comm. in lib. Hipp. de rat. vic. in morb. acut. pag. 18.

(3) Frid. Hoff. diss. de medic. prudenti applicatione, in tempore pag. 277.

(4) Pring. traité sur les substan. septiques & antiseptiques.

(5) Macbride essais d'expériences.

(6) Gorter. Medic. Hipp. pag. 27.

(7) Cullen. apud D. Barthez Nova Doctrina pag. 10.

(8) Barthez eodem loco supra cit.

(9) Aretæus de curatione morb. acuto. lib. 1. cap. 10. pag. 173.

nibus ptisana anteponatur ; quippe humectare, calefacere, pituitam solvere, & detergere per superiora sine molestia, quæcumque evocanda sunt, evocare, facile quoque ventrem ducere, sola ptisana potest. Lommius agitat, an qui Græcis febricitantibus convenit ex ptisana cibus, nostris regionibus etiam conveniat; is negat. At Sydenhamus febre acuta laborantes jusculis avenaceis & hordeaceis commode sustineri posse experientia comprobavit. Si quidem regio Anglicana, Gallia frigidior, pleniorem victum postularet. Ptisana Hippocratis cum hordeo conficitur. Hordeum tritico anteponendum esse demonstravit Beccharius (1). In tritico enim adest pars glutinosa, materiæ animali quam analogua, quæ in hordeum non reperitur. Facili labore demonstratur existentia materiæ glutinosæ in tritico. Pasta ex tritici farina, à furfuribus quam repurgata componitur; pasta illa, manibus contrectanda & subigenda, sub leni aquæ fluento, usque dum aqua perfecte limpida exeat. Quo facto remanet substantia mollis, admodum tenax, omnis fere odoris & saporis expers, & aqua prorsus insolubilis. Pars illa gluten vocatur. Altera autem pars tritici, quam secum aufert aqua, cujusque interpositione lacteo colore tingitur, amylum nominatur. Substantia illa sola subsidentia ab aqua separatur. In nullis ex farinosis, si zeam seu spaltam (2) excipiatur, corpus illud glutinosum reperitur. Gluten tritici distillatum, animalium producta non vegetabilium dat, spiritum nempe urinosum, olea, & salis alcalini tantam copiam, quanta ex pari pondere cornu cervi solet prodire. Idem gluten aceto resolvitur, & in mucaginem seu mucum aqua facile solubilem mutatur. His experimentis demonstratur analogia, inter corpus illud & producta animalia. Albumen enim ovi, sic acidis vegetabilibus tractatum, in gelatinam, seu corpus mucosum quod idem est, convertitur. Quanta autem sit analogia inter albumen ovi & serum sanguinis notum est. Hanc factitiam mucaginis speciem (nempe ex glutine tritici,) quæ varia est pro varia acidi & glutinosi proportione, diligenter exsiccatam, in alteram tritici substantiam, scilicet amylaceam, transire asserit Kessel Meyer (3). Hinc concludi potest acido tantum amylum & gluten differre. Sed id ad me non pertinet. Ad ptisanæ confectionem, hordeum vulgare (multas alias species hordeorum, ptisanæ componendæ aptas nominat dioscorides) novum,

(1) Beccharius. Comm. Bonon. tom. 2. part. 1.

(2) Male igitur, Plinius loquens de ptisana Hipp. adjecit, nunc in alicam omnes transeunt, etenim multo innocentior est ptisana. (Alica autem ex siligine zeæ torrefactæ conficitur.) Plinius. hist. natur. lib. vig. sec. pag. 521

(3) Kessel Meyer. dissert. de parte nutritiva vegetabilium.

quod facile coquatur sumendum est. Modus autem eam parandi, sic (1) Galleno indicatur. Primo hordeum crudum in aqua macerato, deinde manibus adeo terito, ut tenuis membrana conspiciatur. Posthæc iterum manibus ea tenus scilicet valenter conterito, ut quodcumque glumosum excutiatur. Sed hodie molendinorum ope longe commodius perficitur hæc præparatio; & tunc à cortice liberum hordei granum vocatur depuratum, vel excorticatum in officinis. Una pars hordei sic præparati concoquitur vigenti partibus aquæ, donec aquæ dimidia pars plus minus assumpta fuerit. Certior est tamen inquit (2). Thriverius, decoquere donec in lentorem continuum & æqualem evaserit. Saccharum adjicitur ut jucundior sit ægroto. Cremor tartari vel nitrum si refrigerandi est indicatio adjici possunt. Oryza (3) & avena (4) loco hordei, ex ægri voluntate adhiberi possunt. At semper lentor manet ptisanæ Hippocratis, ventriculumque & intestina flatibus molestare incusatur; id vero de omnibus farinosis non fermentatis dici potest. Facile autem evitari potest hoc damnum, hordeum germidatum in usum ducendo. Hæc præparatio sic perficitur, hordei grana, aqua resperfa, in tepido loco servanda sunt, usque dum germinare incipiant, tunc clibani ope illico siccentur, suffocetur incepta germinatio. In hac præparatione saccharinam indolem sapore blando & dulci manifestam adipiscitur farina: hæc sapam largitur qua vegetabilia loco sacchari aut mellis, non adeo tamen durabili connubio condiuntur. Referente D. Crantz (5). Lentor farinæ adeo attenuatur germinatione, ut grana germinata, in crassam farinam redacta, & in aqua cocta, non amplius turbidum & viscidum decoctum propinent, sed fragantem & limpidum. Magis adhuc evidens est actio germinationis super triticum, eodem enim modo tractatum, (ac supra diximus de hordeo): nullum amplius in ore glutinis vestigium exhibet; (quod ante ut notum est exibebat) sed totum in saliva molliter liquescit, penitusque aqua æstuanti solvitur. En parandi ptisanam methodus facilis; nulli est igitur momenti Manardi (6). Ratio, nempe inquit, quibus danda esset, vix hoc tempore dari potest, quandoquidem nec hordeum habemus ad eam conficiendam, nec coquos qui recte parare norint. At

---

(1) Gallenus lib. de ptisana pag. 182.

(2) Thriv. Commm. in Hipp. de rat. vic. in morb. acut. pag. 23.

(3) Jucundius est palato cremor oryzæ, isque nunc fere semper in usum ducitur.

(4) Avena variaque ejus parata semper aliquid injucundi & subamari habent.

(5) Crantz materia medica.

(6) Joan Manar. loco citato.

tamen non tam rigide, ptiſanæ adminiſtrationi inſiſtendum eſt, ut non aliquid conſuetudini, forte etiam præjudicio concedatur. Si autem juſcula dantur, tunc acidis vegetabilibus vel etiam ſpiritibus acidorum mineralium alteranda ſunt. Acetoſa, indivia, lactuca vel aliæ plantarum ſpecies ex indicationibus juſculis incoquendæ quoque ſunt.

III.

Nimium regiones & individua inter ſe diſcrepant ut aliquid certi de quantitate alimentorum, cuique ægroto neceſſaria dicere poſſim. Variat & etiam multum modus nutriendi ægros. Ad variationem illam probandam, duo tantum exempla ſeligam. Primus ex Poterio (1) hic inquit, (Bononiæ) lac, panata, cum juſculo carnis & ova ſorbilia, cibi ſunt quibus utuntur febricitantes, potus eſt, aqua cocta, vinum granatorum, ceraſorum vel conſerva cum aqua citri acidi, ſucco limonum & ſaccharo. Pomum & pyrum coctum non raro concedunt. Alterum ex Petro de Rotundis Medico Romano, de victu in febre acuta loquitur. (2) Victum ſic ordinato inquit, primo mane jus præbeto, quod ad vires reſpectet, ternis inde horis ſiccitati & ſiti obviam ito, exhibita aqua, ſive ptiſana, ſub meridiem, dato ſorbitionem, (ſorbitio eſt ptiſana Hippocratis tranſcolata.) Ternis alteris à ſorbitione horis, iterum dato potum; bihorio poſt juſculum, hora cenæ, ſorbitionem alteram: tribus poſt horis potum; hic ſane largiuſculum, quo ſomnus alliciatur. Quantitas alimentorum in duobus exemplis ſupra citatis præſcripta, magis higienæ quam therapeiæ, pertinere mihi videtur. Illud igitur tantum dicam & regioni & individuo & conſuetudini attendendum eſſe. Voraci enim homini, & cujus vires digeſtricæ vigent, major alimentorum quantitas, quam temperanti & debili adminiſtranda eſt.

Ut rite igitur inſtituatur victus in acutorum initio; conjectandum eſt unius cujuſque morbi modus & hominis natura & conſuetudo victus ægri, non ciborum ſolum, ſed etian potuum. Conjectandum inſuper an morbus longus, an brevis erit. Morbum brevem deſignant ſigna coctionis, initio apparentia. Ut v. g. ſedimentum album, tenue, & æquale; vel etiam enæorema in urinis, ſputum facile, & coctum in morbis pectoris. &c. Longum morbum contraria ſigna declarant. Nempe urinæ intenſe rubræ, tenues, claræ, ſpumoſæ; in morbis pectoris ſputum nullum, ſudores frigidi, exigui, vel nulli vel partiales. &c. Quibus omnibus rite inter ſe comparatis, quo brevior futurus eſt morbus, eo tenuior victus, quo vero longior eo craſſior imperandus eſt. Ex alimentorum defectu

---

(1) Poterius de febribus lib. 2. apud Frid. Hoff. pag. 357.
(2) Petr. de Rotundis. de rat. vic. in febre acu. cont. pag. 32 & 33.

inquit, Gorter. (1) In morbis vires cadunt; ex excessu supprimuntur. Satius est tamen excessu quam defectu peccare, in alimentorum exhibitione, ne cum omnia alimenta subtrahere melius esset, tunc nutrire necessarium sit: detractionem omnino tollere, ait Hippo. sæpe conducit, ubi suffecturus est æger donec morbi vigor maturescat Hipp. loco cit. pag. 42. Illud in primis observandum est; ut progressio in alimentorum exhibitione sit semper à pleniore ad tenuiorem. Ita ut initio crassiorem, in incremento sensim minus crassum, denique in vigore tenuiorem concedamus. Lommius (2) non omnino sic censuit, si prima septimana inquit, resolutum iri morbum verosimile est, nec vires desunt, diebus duobus continentissime æger habendus est; & dein ad crassiorem descendendum: at non omnibus punctis absoluta mihi videtur praxis illa. Dum enim vigent vires ægri, nutriendum est, ut æger vim morbi sustinere possit. In principiis autem morborum magis vigent vires, quam procedente morbo. At tamen si nuper pasto, & alvi onere haud quaquam purgato, febris vel cum dolore, vel sine dolore incipit, à sorbitione tantisper temperandum, donec cibum descendisse conjectum fuerit: et clistere ducendus est alvus, ante sorbitionis exhibitionem. Etenim ait Hippocrates; (3) quibus cibus intus conclusa est, si quis non facta deorsum evacuatione sorbitionem dederit, dolorem si adest amplius exacerbaverit; si non adest statim induxerit; & spiritus densior fiet. Asclepiades ubi ægrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibo destinabat. Themison, non quando cœpisset febris, sed quando desiisset, aut certe levata esset, considerabat, & tunc cibum dabat. Non nova fuit in medicina methodus illa. Sui enim temporis thessalicos medicos de hac re increpat Hippocrates. (4) Novi inquit medicos maxime contraria facere, his quæ fieri oportebat. Omnes enim volunt ubi sub morborum initia homines fame præmacerarunt, duobus, aut tribus, aut etiam pluribus diebus, sic sorbitiones exhibere, Itemque potus: & paulo ante, melius esse assero, statim incipere sorbere, quam præevacuatis jam vasis sorbere auspicari, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta, aut septima die. His duobus fragmentis demonstratur, non novam fuisse methodum Asclepiadis. Sufficit ad hujus methodi refutationem divi coi verba retulisse. Febre acuta laborantes debent igitur initio nutriri, ut vigorem morbi sustinere possint, cum parca quantitate alimentorum. Facile nosci-

---

(1) Gorter Medic. Hipp. pag. 17.
(2) Lomm. de curan. feb. cont. pag. 90.
(3) Hipp. lib. de vic. ra. in morb. acut. pag. 419.
(4) Hipp. eod. loc. sup. cita. pag. 421.

tur in morbis epidemicis, morbi vigorem, obſeruatione ſymptomatum, quamque periodum epidemici morbi concomitantium. Difficilius eſt, hanc prognoſim inſtituere in morbis ſporadicis; ut rite inſtituatur. Obſervandum eſt, quinam ſit inceſſus aſſuetus hujus morbi; obſervandæ ſunt exacerbationes, an ultima antecedenti ſit intenſior. Et dein obſervanda ſunt ſigna coctionis. In morbis autem qui ſua tempora in ſpatio duarum vel trium dierum percurrunt, noſcitur ſumma eſſe omnia, ſi adeo intenſa ſunt ſymptomata ut exacerbari non poſſint quin æger moriatur. Tunc nempe in ſummo ſtatu morbi alimentorum parca quantitas propinetur. Cum enim ſæviſſima ſymptomata vigent inquit fernelius (1) & natura in morbi coctione tota incumbit, alio avertenda non eſt, neque plenioris cibi coctione diſtrahenda. Et cachetus, (2) extremis morbis, extremæ ſunt medicationes adhibendæ; cum morbus acutus, in ſtatu eſt, extremus eſt, extremam itaque medicationem & per conſequens extreme tenuiſſimum victum exigit. Sed ſtatim poſt morbi judicationem, ad craſſiora redeundum eſt alimenta. Galenus (3) tamen dixit, tutum eſſe etiamſi morbus judicatus fuerit, ad duos uſque dies, diligentem victus rationem, qua æger uſus fuit, ſervare. At regula illa non eſt ſemper tuta; vidit enim ſydenhamius, (4) hominem hypocondriacum ob evacuationes immoderatas, & diætam exactiorem poſt morbi judicationem. Acceſſebar aliquando, inquit, ad virum tam ingenio; quam genere nobilem, qui non niſi paucis diebus à febre convaluerat. Alterius medici conſilio uſus, qui & ſanguinem detraxerat, & pharmacum catharticum ter exhibuerat, tum etiam carnibus interdixerat; huic ubi veſtitum conſpexerim, & de rebus quibus libet cum judicio differentem audiverim, rogabam quorſum me conveniret, reſpondit familiarius quidam ejus, modo expectarem pauliſper, res ipſa loqueretur; confidens itaque, & ſermones cum ægroto trahens, mox obſervavi labrum inferius protrudi cum motitatione crebra, & exinde ægrum in tantas ſolvi lachrymas; quantas vix alias vidi unquam, cum gemitu ac ſuſpiriis tantum non convulſivis. Qui tamen repentinus torrens non ita multo poſt detumuit prorſus. Pendere exiſtimabam, inquit auctor, partim ab exanitione & abſtinentia à carnibus, quam etiam ad dies aliquot poſtea quam convaluerat, imperaverat medicus, quo

---

(1) Fernelius lib. 1°. method. med. pag. 28.
(2) Chriſ. Cachetuſ. controv. thæore. prac. im primam aphor. Hipp. ſec. pag. 539.
(3) Galenus in lib. Hipp. de vic. rat. in acut. com. 1. pag. 604.
(4) Sydenh. Diff. epiſ. de affec. hiſt. pag. 264.

eum à recidiva præstaret securiorem. Exhibitione alimentorum eum sanavit Sydenhamius. Post judicationem ergo alimenta magis nutrientia ægris propinanda sunt; observata tamen ea regula ut à minus crassis ad crassiora procedamus. Repentinis enim mutationibus offenditur corpus. Etenim ait Hollerius, (1) præter vim morbi à quo plurimum divexantur repentina victus mutatione in hæc symptomata incidunt. Nempe, vigilias, moerorem, delirium, aurium flatus sonoros, extimarum partium refrigerationem & urinas crudas. &c. Post duos dies concedi potest panatella sydenhamii, quæ sic componitur, cape cornu cervi & micæ panis albissimi drach. duas coque in aquæ fontanæ libris duabus aut tribus, postea sufficienti quantitate sacchari albissimi edulcoretur. Panatella illa majorem materiæ alibilis quantitatem continet ptisana Hipp. potest igitur in illo morbi periodo adhiberi.

IV.

Nunc tempus exhibendis alimentis aptius, est tempus intermissionis, si intermittit febris; vel remissionis, si remittit tantum. Si tempus intermissionis, vel remissionis sit brevius ut alimentorum coctio perfici possit, ante primam exacerbationem, tunc sub fine exacerbationis propinanda sunt alimenta, ut coctio perficiatur ante primam exacerbationem; ubi brevior timetur remissio inquit thriverius, (2) in ipsa declinatione licet dare, ut duplici concoctione confecta sint alimenta, priusquam proximus exeat paroxismus. At tamen si nihil vetat, hora in qua æger dum sanus erat, alimenta capiebat, eligenda est. Natura enim, quamvis morbo lacessita, non omnino à perennibus suis motibus aberrat. Sed si exacerbatio in illud tempus incidit, eligenda est hora, in qua æger quietior est. Si in eodem die accessiones complures hominem adoriantur, post graviorem, præcipue alendum. tempus exacerbationis, in alimentorum exhibitione, imprimis evitandum est. Cur vero, inquit prosper Martiauus, (3) in omnibus exacerbationibus, alimentum subtrahere expediat, ratio est manifesta; quia natura à violentia exacerbationis irritata, vexataque à superveniente alimento, ita obruitur ut facilius in exacerbatione superetur à morbo. Hurnius (4) eamdem fere rationem reddit, cur incipiente paroxismo, cibus subtrahendus sit. Nam apponere, inquit, noxa est, eo enim tempore refluï sunt cuncti succi ad centrum corporis, unde opprimitur, anxia fit respiratio, ac alvina regio ab impuris succis incurritur, si

(1) Hollerius. comm. in primam secti aphor. Hipp. pag. 15.
(2) Thriv. comm. in lib. Hipp. de Rat. vic. in acut. pag. 38.
(3) Prosp. Mart. com. in sec. primam aphor. Hipp. pag. 299.
(4) Hurni. comm. sup. aphor. 11. sect. 1.

cibum tunc dederis, in impuritatem illa abit, ac distento hypochondrio opprimitur pectus, unde anxia respiratio ac calor cordis major. Erasistrates, quando venter & corpus exinaniebantur, tunc cibum dabat. At tamen aliquoties in exacerbatione alimenta exhibere necessarium est v. g. picrocollis. Sæpe enim in exacerbationis insultu, bilis in eorum ventriculo infunditur; & propter ea in animi deliquium incidunt. In illo casu melius est aliquid offerre, v. g. bucella panis, succo granatorum impraegnata offerri potest. Si in principio accessionis, inquit Martianus, (1) aliquando aliquid dare cogimur, minus lædetur æger aliqua re solidiori, quam à potu. Hippocrates, (2) vetat quoque exhibitionem alimentorum, dum pedes frigidi sunt. Cum quidem pedes frigidi fuerint, inquit, inhibere oportet sorbitionis, exhibitionem, maxime vero à potu abstinendum est. Ubi vero calor descenderit ad pedes, tunc exhibere convenit. Celsus, (3) regulam omni puncto absolutam, ut mihi videtur præscripsit. En ejus verba, scire licet, inquit optimum cibo tempus esse, febre finita, deinde cum decessio ejus consistit. Tertium, si necesse est, quandocumque decedit, cætera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem, necessitas urget, satius esse instante quam incipiente. Cum eo tamen ut nullo tempore, is qui deficit, non sit sustinendus.

V.

Venit nunc tractandum, quoties alimenta concedi possunt in una die, hic consuetudini ægrotantis attendendum est. Qui bis in die cibum capere solidi ait Hippocrates (4) eis bis danda est; qui vero semel edere consueverunt, his semel primo die danda est; verum sensim progressu facto, si fieri poterit etiam his bis datur, si sane opus habere visum fuerit. Non hic intelligendum esse ut mihi videtur, adjiciendum esse cibi quantitatem, sed cibationem alteram. Ut v. g. si quis semel octo uncias capiebat, in duas cibationes quatuor uncias tantum capiat. Multo facilius enim digestio perficitur. Cum contra alimentorum maxima quantitas semel hausta; vires obruat. Eodem modo fere commentatur locum Hippocratis superius citatum Prosper Martianus (5) jubet inquit statim à morbi principio, servandam esse consuetudinem, eam semel tantum modo exhibendo, inde vero bis etiam dari, si opus esse videatur; additione

(1) Prosp. Mart. com. de Rat. vic. acut. sect. 1. pag. 263.
(2) Hipp. de Rat. vict. in morb. acut. pag. 419.
(3) Celsus. lib. 3. cap. 2. sect. 2. pag. 113.
(4) Lib. de vic. rat. in morb. acut. pag. 418.
(5) Prosp. Martian. comm. de Rat. vict. acut. sect. 1. pag. 262.

paulatim facta, ita ut, cum primo bis ea dari incipit, modica exhibeatur, & non admodum crassa. Inde vero quantitas augeatur; ea servata moderatione, ne multam & crassam exhibentes à consueta diæta recedamus nimis: aut in minima quantitate propinantes, stomacho inanitionem inducamus. Sed si quis quater vel etiam sæpius cibare consueverat, ad duas vel tres cibationes ad summum eum reducere necessarium est. Nam cum tam sæpe alimenta propinantur, natura tota digestioni incumbit, & coctioni materiæ morbificæ vacare non potest. Et sic progressu temporis, omnia in pejus ruunt. Et tandem vires ægri vi morbi & digestione continua lacessitæ, æger moritur. At tamen huic regulæ, est aduc quædam exceptio. Ægris enim, qui maxima respirandi difficultate laborantur, parca alimentorum quantitas semel, sed repetitis vicibus propinanda est. At plerumque duæ vel tres cibationes sufficiunt. Et semper observandum est in exhibitione ut supra dixi, vel tempus remissionis vel intermissionis. Vel tempus in quo omnia sunt placidiora. At tamen si exacerbatio violenta, per viginti vel viginti duas horas protrahebatur, satius esset semel tantum cibum concedere nempe in remissione; etiamsi remissio per noctem incideret: quamvis tempus illud exhitioni alimentorum sit omnium minus aptum.

VI.

Tanta est potuum copia & varietas, ut omnes enumerare fastidiosum esset. Quosdam ex magis usitatis indicare sat erit. Aqua cruda est potus omnibus hominibus communis, & ubique reperitur. Aqua acute fabricitantibus concedi potest, modo facile vel per transpirationem, vel per urinas transeat. At multis subigi non potest, stomachum gravat, & materiæ morbificæ concoctioni officit. Tunc non est exhibenda. Principium & incrementum febris in exhibenda aqua cavere oportet, ait ætius, sed totius morbi, particularisque exacerbationis vigorem diligere. Ergo etiam quo hæc ista fiant facilius atque impensius provocare etiam bibendi cupiditatem oportet, cum æger admodum exarserit, avidusque ostensum pellucido in vase fontem concupiverit, eo primum aliquantisper denegato, donec anhelus toto corpore, totoque animo in aquam inhiaverit, tandem quantum haurire fontis valet, permittatur, ad ipsam usque salietatem. Dein stragulis diligenter intecto corpore sudor oritur. In illo casu ut remedium, non vero ut potus conceditur. Potus acidulati succo mali punici, aut limonis, aut citrei, aut omphacii, aut ribium aut oxallidis, multas sane indicationes adimplent, sitim enim sedant, refrigerant, putrefactioni resistunt. At usus acidorum protractus stomachum lædit, & consequenter digestioni officit. In eorum exhibitione igitur cautum esse oportet. Aqua hordei & oryzæ adhiberi potest, subdulcis est &

mucilaginosa. Hydromel & oximel antiqui propinabant. Quidam ex Neotericis hunc potum reformidant. Quæcumque pocula mellita sunt ait lommius, (1) quia calefaciunt ac prompte bilescunt inimica sunt. At tamen Dom. De Haën (2) aquam hordei vel avenæ cum melle commendat. Continua novi ejus liquidi ad mistione, inquit præpedimus corruptionem humorum, ita ut in nosocomio nostro fere ignoremus pethechias, ac miliaria quæ alioqui morbos acutos in iis regionibus tam frequenter subsequuntur. Præcaveturque egregie molestus in morbis sive vomitus, sive alvi fluor, acri quod hocce generaret, correcto, abluto expresso. &c. Serum quoque lactis, vel lac cum aqua mixtum (nomine hydrogalæ cognoscitur) administrari possunt. Ex prædictis apparet potus acidulatos, aquam hordei & orisæ, serum lactis, esse potus in acutis aptiores. Nulla regula generalis ad eorum exhibitionem assignari potest. Observandum est tamen nunquam in exacerbationis initio dandum esse potum. Si æger intense sitiat, sitim suam fallere poteit aurantii corticem, vel caryophyllum masticando.

---

(1) Lomm. de curand. febrib. pag. 88.
(2) De Haen Rat. medendi tom. 1. pag. 7.

FINIS.

DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*
R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.
R. D. CAROLUS LE ROY.
R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.
R. D. ANTONIUS GOUAN.
R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus Professor Emeritus.*

MONSPELII, apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum. 1775.